

INITIUM
SANCTI EVANGELII

SECUNDUM JOANNEM.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehendunt. Fuit homo missus á Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitabit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti á Patre, plenum gratiae, & veritatis. R. Deo gratias.